DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

APOPLEXIA SANGUINEA.

6

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

APOPLEXIA SANGUINEA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ALEXANDER HANNAY,

Scoto-Britannus,

CHIRURGUS,

SOCIETATIS REGIAE MEDICAE EDINENSIS

SOCIUS EXTRAORDINARIUS.

Haec scribo coactus, non ex cacoëthe scribendi.

Die VIII ante Kal. Julias, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT C. STEWART,

Academiæ Typographus.

MDCCCXII.

VIRO PRAECLARO

JACOBO WARDROP,

SOCIETATIS REGIAE EDINENSIS SOCIO,

ETC. ETC. ETC.

ARTEM CHIRURGICAM APUD LONDINENSES

SUMMO CUM FRUCTU EXERCENTI,

NON MINUS PERITIA SUA IN ARTE MEDENDI,

AC IN SCIENTIA LITERISQUE, QUAM

BENIGNITATE ET MORUM SUAVITATE,

INSIGNI;

PRAECEPTORI SUO PRIMO IN ARTE SANANDI,

SEMPER COLENDO;

OB MONITA ET PRAECEPTA IN STUDIIS

AMICISSIME OBLATA,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

ANIMI GRATISSIMI

PIGNUS PEREXIGUUM,

DICAT CONSECRATQUE

ALEXANDER HANNAY.

NEC NON

PRAECEPTORI SUO EXIMIO,

ALEXANDRO MONRO, JUN. M. D.

IN ACADEMIA EDINBURGENA

ANATOMIAE ET CHIRURGIAE

ERUDITO PROFESSORI,

ETC. ETC. ETC.

HANCCE DISSERTATIONEM,

SUMMAE OBSERVANTIAE

PERTENUE TESTIMONIUM,

BENEFICIORUM HAUD IMMEMOR,

ANIMO GRATO

OFFERT

AUCTOR.

Ad rectè medendum omninò opus est, ut remedia, non solum generi, sed speciei cuique, et saepe etiam varietatibus quibusdam, apprime sint accommodata.

CULLEN, SYNOP. NOSOL. METHOD.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

APOPLEXIA SANGUINEA.

LEGIBUS hujusce praeclarissimae academiae, quae, omnes lauream Apollinarem ambientes, aliquid diligentiae suae in re medicâ specimen prodere sanciunt, obtemperanti, de Apoplexia Sanguinea, opere in sequenti, observationes paucas mihi in animo est offerre. Apoplexia forsitan omnium morborum, quibus obnoxium est genus humanum, perniciosissimus est. Hic enim morbus non solùm frequens est, et etiam ejus accessio citiùs dicto venit, sed eheu! quia multos eorum, quos adoritur, sedibus mortuorum tenebrico-

sis consignat, dum alios vitam saepe longam miserrimamque trahere cogit. Rebus ita se habentibus, omnibus satis perspicuum erit, ut medicorum solertiam peritiamque summam sibi jure vindicet; quando enim ad aegrum vocati sunt, cujus casus nullam admittit moram, instanter remedia potentissima liberâ manu adhibenda sunt. Apoplexiae (a verbo Graeco ἀποπλήσσω, *percutio*, nominatae) varia nomina dederunt auctores, quae plerumque subitum et saepe improvisum morbi impetum indicant, veluti "ictus "sanguinis, morbus attonitus, nervorum re-"solutio, sideratio, percussio," etc.

Cullenus illustrissimus hunc morbum in classe Neurosium, ordineque Comatum collocavit, cujus definitione, quippe quae omnium adhuc praepositarum praestantissima est, utar. "Motus voluntarii fere omnes immi-"nuti, cum sopore, plus minus profun-"do, superstite motu cordis et arteriarum." Varias in species varietatesque hoc genus diviserunt nosologi: sed primam, quae Apo-

plexia Sanguinea denominatur, pro argumento hujusce dissertationis inauguralis, ut speciem frequentissimam, etiamque exemplum morbi maximè lethalis ex intemperantia plerumque provenientis, seligam. Cullenus illam sic breviter definit: " Apoplexia * (San-" guinea) cum signis plethorae universalis, " et praecipue capitis." Hanc forsitan alias in species, nempe in Apoplexiam Arterialem-Sanguineam, et Venosam dividere licet, sed hunc ordinem intereà non sequar.

HISTORIA MORBI.

Hic morbus eos ferme semper aetate provectos, istosque praesertim qui annum sexagesimum compleverunt (quamvis hoc morbo juvenes haud exempti sunt) quibus magnum est caput, collumque breve, et habitus corpulentus, qui vitam sedentariam degerunt, et qui diaetâ plenâ atque luxuriosâ usi fue-

* Synops. Nosolog. Method. Gen. XLII.

runt, aut eos qui spirituosis liquoribus multùm addicti, potissimùm invadit. Huic morbo uterque sexus obnoxius est, sed ex vivendi more, aliisque causis, mares saepiùs quam feminas obrepit. Adoritur haud raro nullo praesente praemonitu, quando aegrotus, si erectus erit, derepentè quasi fulmine percussus humi procumbit; sed multis in exemplis signa sequentia, scilicet dolor capitis, vertigo, somnolentia, tinnitus aurium, palpitationes intra caput, linguae titubatio, epistaxis, stridor dentium, incubus et extremorum torpor, palpebrae superioris lapsus, vel uveae affectio spasmodica paroxysmum prae se ferunt. Variae etiam oculi affectiones illum invasurum esse praenuntiant, ut scintillae, maculae nigrae, vel alia simulacra ob oculos visa. Oculi quoque aliquando affecti sunt ita, ut res omnes cernant duplicatas, cujus exemplum insigne suis in praelectionibus excellentissimis narrat Gregory. Memoria etiam, quamvis antehac tenacissima et validissima, nunc graves mutationes subit.

Aliàs memoria mirabiliter alienata est, incredibile dictu! ut rerum reminiscendi facultas ex integro corrupta sit, dum nomina harum ipsarum rerum sana inviolataque remaneant: et vice versâ. Celeberrimus Gregory hoc phaenomenon multis exemplis illustrat. Narrat mulierem rerum nomina bene reminiscentem, ex mente prorsus excidisse se filii fuisse matrem: alium etiam jentaculum sumpsisse oblitum.

De pluribus exemplis quoquè mentionem fecit aequè mirandis, sed quorum historiam fines hujus opusculi non me tradere sinunt. Gustus et olfactus saepe multùm affecti sunt; et mens saepe valdè imbecillis est, verbis enim Cheyne utar, "I have known a person "first lose the strength of his legs, then "talk childishly, fiddle with his knife and "fork during dinner, to the confusion of "his family, attempt in vain to direct the "morsel to his mouth, and at length carried "resisting to bed, several hours before he be-

"came apoplectic*." Paroxysmo instante aeger humi procumbit, facies plerumque turgida rubescit, et aliquando purpureum induit colorem, et vasa capitis adeò sanguine implentur, ut in aegroto ad distantiam pedum complurium clarissimus Monro Secundus Arteriarum Carotidum pulsationes planè conspexit †. Oculi saepe rubri sunt, prominent, et semiaperti, fixi remanent, pupilla maximè dilatatur, sed aliquando spasmis convellitur. Pulsus est plenus, tardus et plerumque validissimus; sed in nonnullis exemplis sese intermittit. Respiratio difficilis et laboriosa fit, et interdum stertore comitatur. Saepe totum corpus convulsionibus exagitatur, saepiùs tamen quaedam partes solùm; et latus, minùs resolutum, saepe convulsionibus afficitur. Sensus externi, stimulis acerrimis admotis, prorsùs impares functionibus peragendis manent. Musculi languescunt, nec diutius solitos, nec

* Cheyne's Cases of Apoplexy, &c. p. 10.

† Audi Praelectiones Celeb. Gregory de Med. Pract.

saepe etiam potentissimos, agnoscunt stimulos. Non rarò sensus interni multùm, vel etiam penitus deficiunt. Saepe adsunt nausea et vomitus. Tandem gutture paralysi correpto, devorandi facultas minuitur, vel omnino concidit. Sphincteribus ani et vesicae resolutis, stercus et urina nolentibus aegrotis elabuntur; sed interdum non summâ sine difficultate excerni potuerunt, et secundùm Ontyd * alvus fere semper astricta est. Nunc omnia in pejus ruunt. Gelidi sudores per corpus erumpunt; pulsus debilis, parvus et intermittens fit; os vertitur ad latus, et ex ore saepe prodit saliva spumosa. Sanguis ex auribus, ore, naribusve, aut quâ datâ portâ, ruit. Nunc venit summa dies et inevitabile tempus! brevì enim in aeternam clauduntur lumina noctem.

Exempla haud desunt, quae nos certiores fecerunt ut ab levibus hujus diri morbi casibus homines emerserint, et deinde liberi fuerint

* Ontyd on Mortal Diseases.

ab omnibus hujus generis malis. Fatendum autem est, hos casus felices rarissimè evenire, et ut multò saepius mors, Hemiplegia, vel aliae miserae affectiones, quas mihi liceat in verbis celeberrimi et elegantissimi scriptoris exponere, huic morbo finem imponunt. "Verum tristissima hujus morbi facies tum demum est, cum viribus animi et corporis admodum debilitatis, et effectibus fere ad insaniam effraenis, homo sibi ipsi quasi supersit, ad summam miseriam redactus, si modo suam miseriam norit; quippe non amplius valet stare, aut loqui, verum digitis alienis cibum capit, et alvum et urinam sine voluntate reddit, dum mors cessat venire, ab omnibus aegroti amicis invocata *." Nonnunquam sed raró faustè solvitur hic morbus vomitu spontaneo, haemorrhagiâ, sudore profuso, vel aliquâ aliâ exinanitione †.

* Heberdenii Comment. de Morbor. Histor. et Curation. p. 299.

† Home, Princip. Medicin. p. 226.

SECTIO CADAVERUM.

In nullo morbo clariùs quam in Apoplexia elucescunt felices dissectionis effectus. Nonnulli haud parvi nominis inficias eunt Apoplexiam a vasorum nimiâ distentione unquam posse oriri, sed auctorum dissectiones maximâ fide dignorum sic induci planè ostendunt †. Inter omnes autem consentiendum est hunc morbum frequentissimè ex sanguinis extravasatione ‡ in quadam cerebri vel cerebelli parte oriri. Arteriae carotidae, basilarisque aliquando ossificatione afficiuntur ‖; et haec sanguinis extravasationem, ea-

† Morgagni de Causis et Sedibus Morborum, Tom. I. p. 16. et seq. Lieutaud Synop. Univers. Prax. Medicinae, Tom. I. p. 130, 131.

‡ Morgagni et Lieutaud. Baillie's Morbid Anatomy, 4th edition, p. 452-3. Cheyne's Cases of Apoplexy, &c. p. 20 et seq.

‖ Baillie, lib. citato.

rum tunicas debilitando, inducit. Hujus exemplum insigne, quatuor annis nunc elapsis, cum Profess. Monro jun. ego ipse vidi. Nonne igitur fas est inferre compressionem ab vasorum nimiâ distentione, aut extravasatione, facultatis nervosae transmissionem liberam impediendo, esse hujus morbi causam proximam?

CAUSAE

Quae hunc morbum inferunt, in praedisponentes et excitantes dividantur.

CAUSAE PRAEDISPONENTES.

1*ma*. *Aetas senilis*. Hic morbus juniores rarò; sed eos quoque aliquando obrepit. Quoniam in juventute, ut magis completae sint arteriae, ad corpus evolvendum necesse est, sic experimenta multa, excellentissima *, nos certiores fecerunt parietes venarum quàm

* Sir Clifton Wintringham's Experimental Inquiry.

arteriarum majore firmitate et densitate praeditas esse, quamobrem sanguis in illas non sine mora admissus est, sed in his uberiùs congeritur. Aetate quoque provectiore, machina nostra varias gravesque mutationes subit, et res aliter se habent. Arteriae enim propter assiduam quam patiuntur pressuram, densitate venas aequant vel superant; hinc plus sanguinis provectâ in aetate in venis congestum, hincque oriatur plethora venosa. Ut cerebrum omni pressurâ cui aliae partes corporis subjectae sunt immune est, sanguis in illo accumulatur, et sic aetas senilis homines Apoplexiae procliviores quàm aetas prima reddit.

2*nda*. *Caput magnum* solùm plurimum sanguinis versùs cerebrum refluere indicat.

3*tia*. *Collum breve* magnopere pollet. Omnibus enim liquidò patebit, ut tanto propius caput cordi est, sic quanto velocior fuerit sanguinis circuitus ex corde ad ca-

caput; et si arteriae carotidae et venae jugulares breviores fuerint, nunc sanguis majore cum impetu ad caput propelletur, tuncque ejus regressus ad cor impedietur.

4*ta*. *Obesitas* vasa subter cutem jacentia comprimendo, sanguinem in interiora minus huic pressurae opportuna propellit, et actione pulmonum impediendâ, liberum sanguinis per eos transitum negat, et in vasa cerebri, quà nulla adest adeps, determinat, et sic Apoplexiae causam praedisponentem format.

5*ta*. *Habitus corpulentus* maximum effectum habet in Apoplexiâ aliisque morbis proferendis, itaque omnes causae, quae plethoram faciunt, Apoplexiae viam sternunt. Causam plethorae creberrimam esse plenam luxuriosamque diaetam, et usum liquorum potentiorum immodicum, exempla fere innumera nos docent; omnibus enim bene notum est quòd in Continenti, quà incolae praecipue cibo vegetabili vescuntur, nomen Apoplexiae vix audiendum sit, dum in Anglia, quà plus

carnis fortasse quàm in ullo latere mundi devoratur, Apoplexiae et mortes subitae quotidie in conspectum veniunt.

Pro concesso habetur, quòd ad omnium aures pervenerit quàm frequenter homines inter prandia magna (*city feasts*, &c.) humi procubuerunt, Apoplexiis correpti quae iis exitio fuerunt. Nec multùm hoc possumus mirari, si consideremus quantitatem et qualitatem cibi devorati, et vini ad illum (ut dicunt) rectè digerendum ne malum inferret. Varietas ciborum non tam multùm nocet per varietatem ipsam, quàm eos multò plùs comedere, quàm uno ex genere potuissent, illiciendo. Nonne magis mirandum est quòd Apoplexiae non frequentiores evadant? Vita sedentaria vitia jamjam memorata plerumque comitatur: unde oritur omnium exinanitionum suppressio, dum fluida circulantia augeantur, hincque plethora. Hîc notatu dignum suppressionem ullarum exinanitionum quibus diù corpus solitum fuit

subitam, plethoram etiam inferre, veluti fluxûs haemorrhoidalis, epistaxeôs, etc.

6*ta*. *Inebrietas*. Hoc vitium horrendum non solùm plethoram facit, sed ejus per stimulum sanguinem magnâ cum vi ad caput propellit, et vasorum actionem inflammatoriam inducit, et hic stimulus plerumque constanter agit, habitus enim temulentorum vix aut ne vix quidem unquam derelicti sunt. Oculorum rubor, eruptiones super faciem crebrae, et super omnia nasi color peculiaris temulentorum nimiam determinationem ad caput planè demonstrant.

7*ta*. *Constipatio* inter causas praedisponentes jure sibi locum vindicat, si enim in intestinis diu exstiterunt faeces, tam induratae evadunt, ut summa musculorum actio, et inspiratio plenior longiorque ad illas evacuandas ita necessariae eveniant, ut Apoplexias diras fatalesque produxerint. Magna laxantium utilitas in sanguinem ex capite derivando hoc nos docet. In modo supradicto

feminae in actu parturientis aliquando pereunt.

Apoplexia hereditaria aliquando dicta est, et hoc haud aliàs intelligere possum, quàm quòd liberi structuram quae satis adhuc, ut causam Apoplexiae praedisponentem, agitata fuit, a parentibus recipiant.

Huic morbo alii, veluti febres, podagra, epilepsia, pertussis, etc. nos praedisponunt.

CAUSAE EXCITANTES.

1*ma*. *Exercitatio Vehemens.* Justa debitaque musculorum corporis actio sanitatem ad conservandam maximè necessaria est, sed quando musculis praeter solitum vel ad excessum utimur, pessimis haec comitata est eventis. Omnis enim musculorum contractio vehemens sanguinis circuitum accelerat, vasa subjacentia exprimit, sanguinem in vasa interiora propellit, et ad cerebrum determinat. Alium sed malum effectum habet exerci-

tatio abnormis; nempe inspirationem pleniorem et longiore temporis intervallo iteratam inducit, quae non solùm sanguinis cursui per pulmones obstat, sed eundem insigni vi versùs caput propellit, ejusdemque regressus per venas impedit. Inspiratio plenior igitur quibuscunque e causis oriatur, causam hujus morbi excitantem probat. Ab actione musculorum vehementiore etiam effusiones sanguinis nonnunquam e naribus et vasculis faciei eveniunt. Similes quoque effusiones intra cranium aliquoties locum habent. Omnes pulmonum nisus, velutì loquela fortior, instrumentorum musicorum inflatio, tussis, sternutatio, oscitatio, risus, fletus, sanguinem ad caput dirigendo ejusque reditum claudendo, Apoplexiam faciunt.

2da. Pathemata animi violenta, veluti ira, gaudium, libido, etc. non solùm hunc morbum, sed insaniam, vel mortem inevitabilem attulerunt. Iram omnium animi pathematum pessimum, periculosissimum et stultissimum ut exemplum seligam, ejusque

effectus describam. Cum aliquis irâ accenditur, totum corpus aestu exagitatur, cordis et arteriarum actio multùm acceleratur, respiratio mirum in modum turbatur, collum et facies rubescunt tumescuntque, et arteriae carotidae sine ordine vibrant. Oculi torvi et micantes, et ita prominent, ut ex orbitis prosilire videantur: vel ut Ovidius paucis in verbis sed luculentissimè descripsit:

"Ora tument irâ, fervescunt sanguine venae,
"Lumina Gorgonio saeviùs angue micant."

"Ira (ait celeberrimus Home) fibras con-"stringit, motum sanguinis accelerat, san-"guinem ad superiora determinat, dolorem "in scrobiculo cordis excitat, et spasmodi-"cas stricturas in ventriculo, ductu chole-"docho et intestinis concitat. Hinc larga "salivae copia, oris amarities, vomitus bilis, "volvulus, Apoplexia, phrenitis, febres *."

* Vide Principia Medicinae, Francisco Home auctore, p. 15, 16.

3tia. Inebrietas. Liquores spirituosi corpus potissimùm excitant, et arteriarum pulsationes crebrescunt, et nervosum systema multùm disturbant. Liquore sumpto moderatè, imaginationes quàm jucundissimae adsunt, fortis fit fortior, timidusque fortitudinem acquirit; sed immoderatè sumpto, vires imminutae sunt, loquela abnormis et turbata evenit, corpusque demum sensu et motu omnino caret. Nisi multùm fallor, immodico eorum usui non solùm Apoplexiae, sed etiam plerique morborum quibus patet genus humanum, tribuendi sunt: et de hac re, sententia auctoris praeclari * ita explicita est, et summâ omnium attentione dignissima, ut mihi silentio nequaquam praetereunda sit. "The palsy and apoplexy complete the "group of diseases produced by spirituous "liquors. I do not assert that these two "disorders are never produced by any other

* Rush's Inquiry into the Effects of Spirituous Liquors upon the Human Body, &c. p. 4.

"causes; but I maintain, that spirituous li-
"quors are the most frequent causes of
"them, and that, when a predisposition to
"them is produced by other causes, they
"are rendered more certain and more dan-
"gerous by the intemperate use of spi-
"rits."

4*ta*. *Calor externus* potentissima hujus morbi causa est. Bene omnibus notum est hunc morbum obrepere in coetubus magnis, aut alio loco quà turba est. Haud rarò adoritur eos qui Baccho addicti sunt, quando post coenam luxuriosam sese recipiunt in lectum*, variis hic agentibus causis; nempè calore aucto, pleno ventriculo, vini stimulo, et super omnia posturâ horizontali: crebrò etiam occurrit dum aegroti balneo calido utuntur; quam ob causam nunquam summa sine attentione in paroxysmo adhibendum

* Audi Prelectiones celeb. Monro, jun. de Anatomia Morbida.

est. Frigidarium hunc morbum etiam aliquando gignit, cujus exempla narrant celeberr. Home et Gregory *. Causae jam memoratae agunt sanguinem ad caput determinando, et actionem inflammatoriam arteriarum inducendo.

Nunc de causis quae obviàm fiunt fluxui sanguinis ex capite ad cor, veluti ligaturae circa collum, caput demissum, ut in legendo ante focum, quae postura oculis quoquè multùm nocet, decubitus cum capite humili, et polypi circa cor. Eodem fere modo fit si breve sit collum, subita capitis distortio †, nam venae jugulares subter cutem jacentes torquentur et diametris imminuuntur, dum arteriae carotidae magis in centrum motûs sitae, vix afficiuntur.

* Audi Prelectiones de Materia Medica, et Med. Practica.

† Fothergill's Works by Lettsom.

DIAGNOSIS.

Nunc de discrimine, quod inter hunc morbum et eos maximè ei cognatos intercedat, dicendum est. Ex iis paralysis, syncope, hysteria, epilepsia et inebrietas observatione maximè dignae sunt.

Paralysis et Apoplexia solùm sunt diversi gradus morbi ejusdem, et itaque hîc diagnosi non opus est. In paralysi motus plerumque solùm affectus est, et quaedam corporis partes, veluti latus alterutrum, scilicèt *hemiplegia*. Pulsus est tardus et debilis, sed in Apoplexia validus, respiratio laboriosa, somnus profundus, et motus et sensus deficiunt.

Ab syncope Apoplexiam facillimè dignoscimus: in hâc etenim actio cordis et arteriarum, et respiratio superstites sunt; in illâ autem vel omninò cessant, vel tam exilitèr perfi-

ciuntur, ut vix aut ne vix quidem sensibus acutissimis detegi possunt; hîc etiam facies est pallida, et oculi clauduntur, sed in Apoplexia turgida et rubra, et oculi semiaperti et fixi: praeterea syncope juniores, et praesertim eos magnâ sentiendi facultate praeditos, et idcirco feminas potiùs quàm viros; sed Apoplexia seniores et viros praecipue obrepit. Reverà alter eorum ex nimia in cerebro sanguinis quantitate, alter e defectu pendet.

Hysteria. Dolor lateris pungens, sensus globi in ventre volventis, ad fauces ascendentis, ibique strangulantis, quae symptomata hysteriae pathognomonica, in Apoplexia autem desunt, aetas sexusque aegri nos in diagnosi formanda adjuvabunt. Urinae limpidae copia profusa plerumque paroxysmum hystericum praecedit.

Epilepsiam ab Apoplexia signa per sequentia distinguimus. In epilepsia totum corpus convulsionibus exagitatur, juvenes

saepiùs quàm Apoplexia adoritur, hîc etiam adest saepe aura epileptica, pulsus est exilis et vix percipiendus.

Ab inebrietate Apoplexiam distinguere summâ opus est attentione. Sed saepe fieri potest ex foetore spiritûs aegri, in vitae modum inquirendo, si liquores spirituosos bibisset, quae essent symptomata primaria, si facilè liquoribus affectus sit, et quomodo, et si sat esset liquoris ad istum statum producendum, et ex duratione paroxysmi, qui, secundum Doctorem Thomas *, vix plus quàm decem vel duodecim horas manet. Ex inebrietate stimulantia aegrum expergefacere possunt, sed non ex Apoplexia.

* Modern Practice of Physic.

PROGNOSIS.

In morbo imminente capiti semper infausta erit prognosis generalis. Paroxysmi ab severitate, aetate, temperamento, etiamque habitu corporis aegroti judicandum est. Senibus et plethoricis funesta fere semper evadit. Quum sensus interni et externi abolentur, quum respiratio multùm affecta, et quando potestas deglutiendi valdè imminuta, et potus per nares redit, et os ad latus inclinat, vix ulla spes superest, et quartum post diem paroxysmus plerumque lethalis fit *. Sed quando deglutiendi potestas omninò deficit, et respiratio stertorea fit, et spuma circa os collecta, et ani et vesicae sphincteres resoluti, et quando gelidi sudores et convulsiones superveniunt, et quando manus ad caput erigunt †, et etiam secundùm Heberdenii

* Home, Princip. Medicin. p. 227.

† Cheyne's Cases of Apoplexy, &c. p. 13.

sententiam, quando inspirando ambas buccas inflare solent *, et remedia adhibita nil valentia, mortem subituram demonstrant. Cum absunt symptomata jamjam memorata, aut adsunt gradu in minore, et nulla labes hereditaria, aut ejusdem vis per remedia adhibita aliquantùm refracta est, aut aliqua exinanitio supervenit, nobis prognosin magis faustam, quamvis etiam valde ancipitem, deducere licet.

DE MEDENDI RATIONE.

Medicum aegro, paroxysmo apoplectico tentato, auxiliari invocatum duo in animo consilia habere oportet; nempe, 1*mum*. Morbi impetui finem presenti dare; 2*dum*. Ejus reditui praecavere, quod in medicorum linguâ prophylaxis dicitur.

* Heberdenii Comment. de Morbor. Histor. et Curation. p. 299.

1*mum.* Aegrum positu in erecto servare, et omnibus istis vestium partibus, quae corpus, sed praecipuè collum, cingunt, exuere maximè necessarium est. Aër cubiculi purissimus tenendus est, liberum ejus introitum admittendo, ostiis et fenestris apertis, et omnibus accolis vicinis (quorum multi ex benignitate nequaquam idoneâ, multi ex immodicâ noscendi cupiditate, inducti ad aegrum morientem confluunt) exclusis. Omnibus his citò peractis, remedia huic morbo adaptata potentissima, sine morâ usurpanda sunt.

Venaesectio. Jamjam spero et pro concesso sumo me hunc morbum nimiâ ex vasorum cerebri distentione, vel iis ruptis, sanguinis extravasatione pendere satis demonstrasse, et mihi hoc factum ante oculos gerenti, certè ut nil nisi vasorum magna subitaque depletio per venaesectionem liberam unquam valere potuerit, sententia est confirmata. Opiniones huic praxi obnoxiae, per auctorem

haud parvi nominis *, proditae in lucem fuerunt; sed argumenta quibus innixae, ita futilia, et regulis philosophiae minimè convenientia, et praxi hodiernè stabilitae ita contraria, ut hoc in aevo medicinae commentario haud dignae sint. Sanguis itaque citò et largè ex systemate abstrahendus est, et gravi in casu, puto circiter viginti, viginti et quinque vel etiam triginta uncias tutò detractum iri, et haec operatio, symptomatibus haud levatis, secundùm eorum violentiam, aegrique vires, in horam, vel duas, vel citiùs, certè repetenda est. Si opportunè fiat, sanguis ex venâ jugulari trahatur, quia in capitis affectionibus sequitur effectus melior. Si autem id fieri non potest, tunc vel ex ramo anteriore arteriae temporalis, vel ex brachii venis emittatur. Sententia quorundam † est

* Dr Fothergill, vid. London Medical Observations, Vol. VI.

† Cullen's First Lines of the Practice of Physic by Reid, Vol. II. p. 17, 18. Burserii Institut. Med. Practic. Wepferi Observat. de Apoplexia. Morgagni de Causis et Sedibus Morborum.

venaesectionem magis valere, cum sanguis emittatur ex latere contrario ei maximè affecto; sed hoc, me judice, vix attentione in praxi opus sit. Sanguis magno ex vulnere et in posturâ erectâ ad deliquium animi afferendum, trahendus esse debet. Post venaesectionem generalem, decem duodecimve hirudines capiti affigendae sunt, et cucurbitulae cruentae occipitio admovendae, per quas, in opificis periti manibus, sanguis largitèr hauriendus erit, quod multùm proficit, et vires haud labefactat. Sanguis emissus haud raró superficiem coriaceam albam ostendit, quod diathesin phlogisticam adesse nos monet.

Cathartica. Cathartica fere omni in morbo quibus obnoxii sumus non solùm utilia, sed etiam sola in pessimis remedia esse, experientia latè patens celeberrimi Jacobi Hamilton senioris †, cui ars medica tam multùm devincta est, satis superque confirmavit. Forsitan in nullâ morborum classe quàm capitis

† Hamilton on Purgative Medicines.

affectionibus purgantibus major potestas est; itaque Apoplexiae sanguineae magnâ vi, quâ capiti sanguinis fluxum obstandi, quantitatem fluidorum corpore circulantium imminuendi, praedita, maximè adaptata sunt; et itaque locum sanguinis emissioni secundum postulant. Si deglutiendi facultas superstes sit, purgantia per os veluti, submurias hydrargyri cum pulvere jalapii, vel extracto colocynthidis composito, ph. lon. vel scammonii, gambogiae, vel infusiones sennae cum salibus neutralibus fortiores, adhibenda sunt. Si nausea vomitusve urget, vel si resolutus est oesophagus, tunc clysmatis acrioribus et stimulantibus utimur, veluti iis ex sennae infusionibus cum salibus, oleo, vel cum syrupo rhamni cathartici fortibus, confectis. Aliquando oleo terebinthinae utendum est. Sed ani sphincter saepe resolvitur, et ad suppositoria confugiendum est, et his motum intestinorum peristalticum haud incitantibus, nicotianae fumos in anum insufflare, vel ejus infusionem injicere moniti sumus. Sed maximam certè curam ejus usus requirit.

Emetica, ab nonnullis hoc in morbo multùm laudantur, et nuper de eorum usu controversia in Angliâ acerrima locum habuit *. Sed vix aut ne vix quidem, me judice, nisi in Apoplexiâ, ventriculo magis repleto, adoriente, et non tunc, nisi priùs sanguis trahatur, vel graviter fatigat nausea, quando solutione sulphatis zinci †, vel cardui benedicti ‡ infusione utimur, adhibenda sunt; summi enim periculi plenus est usus eorum. Quis enim inter vomendi conatus non viderit sanguinem majore vi in caput propelli, faciem rubescere, et omnia vasa sanguine turgida fieri? Sed praeterea dira experientia emetica periculosissima esse remedia confirmavit; Burserius enim, Morgagni et alii mentionem fecerunt sese vidisse Apoplexias et hemiplegias fatales ob emetica, ab aliis data, accidere.

* London Medical and Physical Journal. Vol. VI.

† Praelectiones Gregorii.

‡ Heberden, p. 302.

Vesicatoria ab omnibus fere auctoribus ad hujus morbi sublevationem multùm commendantur; haec igitur toti capiti raso quàm citissimè applicanda sunt, et, quippe quae multùm valent in impetu morbi minuendo, nunquam negligenda. Ut emplastrum meloës vesicatorii quando superficiei tam latae ut toti capiti applicatum saepe stranguriam inducat, et, ut valdè necessarium, vesicatorii effectus citissimè proferri, sic ei emplastrum, ex circitèr duobus adipis suis scrofae partibus, et tartritis antimonii et potassae parte unâ formatum anteponendum est. Celeberrimus Monro * *tertius* hoc, a se non raró adhibitum, multùm laudat; quia id non solùm citiùs, quàm emplastrum cantharidis, sed etiam, frustra tentatum, valere reperit.

Quod de emeticis dixi etiam ad stimulantia refert; ea enim periculi plena sunt, ideoque hac in morbi specie nunquam adhibenda esse debent.

* Audi Praelectiones de Anatomia Morbida; et etiam De Anatomia et Chirurgia.

Forsitan capitis lavatio aquâ frigidâ, vel cum aceto mistâ, prosit.

Quamvis multum boni in capitis morbis semicupium habet, quod ipse vidi, tamen hîc anceps est, et maximâ curâ usurpandum.

PROPHYLAXIS.

Causae hujus morbi et praedisponentes et excitantes satis adhuc agitatae fuerunt; et eas quibus eam afferendi maxima est potestas, diaetam plenam et luxuriosam, et liquorum spirituosorum, abusum esse reperimus. Igitur ad ejus accessioni minitanti vel ejus reditui precavendum, aegrum summâ ope niti decet: igitur eum mandatis medicorum strictè confidere, et obedire, oportet. Sed eheu! quoties sunt nostra optima consilia, non solùm neglecta, sed spreta, etiamque derisa, donec ultima et horrifica hujus morbi praemonita, adhuc sub hujus tentaminis initium memorata, eos insomniis ad rectè co-

gitandum expergefaciunt: sed ea nunc teneras vitae viriumque reliquias citò praecipitant. "Humanum est errare," sed valde absurdum in errore perseverare.

Nunc praecepta, quibus aegros obedire decet, quàm brevissimè et luculenter tradam. Primum consilium est causas praedisponentes amovere; et secundum, causas excitantes evitare. Causa prioris generis est plethora, cui modus obviandi est primùm considerandus. Omnes qui florente aetate Apoplexiae proclives, vel eos qui ab ejus impetu assurrexerint; regimen antiphlogisticum strictè observare, et diaetâ praecipuè vegetabili et lacteâ cum parvâ solum cibi animalis quantitate uti, et coenam vel omnino omittere, vel parcissimâ uti, et nunc prorsus cibo animali abstinere oportet. Omnes liquores distillati et fermentati etiam, praeter cerevisiam tenuem, quae aquae, ob effectum laxantem quo gaudet, anteponenda est, evitandi sunt. Cerevisiâ pini laricis (*spruce beer*) aeger utatur, quam Gregory multùm laudat, et remedium acescens, refrigerans, antisepticum et laxans

considerat. Sententia est vulgi, sed etiam medicorum *, ut mali effectus, "stimulis so-"litis sublatis," nempe diaeta luxuriosâ et vino, sequerentur; hanc autem valdè multùm dubito, et quando in animo gero factum proprie stabilitum, ut parva cibi quantitas solùm, et vix aut ne vix quidem unquam vinum vel alii liquores sanitatem ad tuendam neeessaria sint, certè ei haud assentire possum; et hâc de re opinionem celeber. Gregory † esse excellentissimam, qui putat ut citius mali habitus derelicti sunt; sic citius salus restauranda erit et huic regulae unicam exceptionem fecit, magna debilitate superveniente et hydropi imminente, judico.

Consiipatio summâ attentione evitanda est, duae evacuationes alvinae omnes in dies reddantur oportet, et pro re natâ, imprimis, adhibenda est diaeta laxans, veluti lac, serum lactis, serum butyri, vegetabilia, et fructus

* Cullen's First Lines, Vol. II. p. 16.

† Audi ejus Praelectiones.

maturi, tunc laxantia lenia veluti sales neutrales, ut super-tartris potassae, tartras potassae et sodae, phosphas sodae, sulphas magnesiae vel sales Cheltenhamii vel aqua Harrowgatensis artificialis, danda sunt. Aliquot hebdomadis elapsis, pilulae aloëticae usurpandae sunt, et eae, cum gambogia formatae, vel pilulae rhei compositae, vel pulv. jalapae compositus, vel submurias hydrargyri cum jalap.

Somnus nimius pessimos habet effectus, nihil enim homines plethorae procliviores reddit, aut vires magis labefactat ut auctor elegantissimus dicit: "Excessus quoque "somni haud parum nocet, totum hominem "torpidum, debilem, fere fatuum reddit; "motum sanguinis languidum facit, et ple-"rasque secretiones minuit; hinc plenitudo, "obesitas, flacciditas, et ad omnia vitae "munera impotentia *." Omnes Apoplexiae

* Gregorii Conspectus Medicinae Theoreticae. Vol. I. p. 223 et 224.

proclives, quando dormitum sese conferunt, caput humerosque proprie elevandos et sufficiendos, quò ad caput sanguinis fluxus avertatur, curent oportet.

Exercitatio modica maximae utilitati hominibus est, multùm enim plethorae obvenit, excretiones et secretiones auget, et totum hominem vegetum agilemque reddit. Sed illi quanquam summâ prudentia opus est, et nunquam ad calorem augendum vel respirationem anxiam vel perspirationem profusam inducendam adhiberi debet: exercitatio equitationis, vel gestationis in rhedâ, vel ambulationis, adhibenda esset. In plethoricis qui propriam exercitationem minimè admittunt, frictione utimur.

Setacea multùm laudata fuerunt, et praecipuè in Apoplexiis, ob evacuationes suppressas, ortis, et ad plethoram diminuendam felici exitu usurpentur. In collo vel humero formata sint.

Nicotianae *tabaci* usus magnopere nocet, et quamvis magnam a capite secretionem fecit, evitari debet, quando ejus in loco pulv. asari composito Ph. Ed. oporteat uti.

In plethora, nisi symptomata Apoplexiae imminent, sanguis nunquam emittendus est, quippe quae illam multùm auget.

Forsitan frigidarium sub forma imbrium (*shower-bath*) bonos praeberet effectus?

Denique omnia, quae sanguinem ad superiora determinant, veluti calor quocunque inductus, sternutatio, errhina, et omnia, quae sternutationem vel inspirationem plenam inducunt; sed prae omnibus, ira, cujus diros effectus jam descripsi, sedulissimò sunt evitanda.

Quando adsunt symptomata paroxysmi appropinquationem denotantia, tunc reme-

diis ad paroxysmum adstantem adaptatis, veluti sanguinis detractione generali et topicâ cum purgantibus, et vesicatoriis capiti applicatis, quamvis haud ad eundem gradum adhibendis, utimur.

FINIS.

APPENDIX.

Casum sequentem jamdudùm in lucem editum *, ut exemplum quod dari potest, optimum, multorum vitiorum diaetam luxuriosam, ejusque effectum plethoram, comitantium, et quia felices exitus, malos habitus derelinquendi, mirum in modum exponit, et partem hujus opusculi prophylacticam bene illustrat, hîc mihi addere liceat; et cum illo hancce dissertationem, mancam et imperfectam et jam nimis longam, ad finem perducam.

" Thomas Wood, born on the 30th of November 1719, of parents who were apt to be intemperate in their manner of living, was subject to various disorders, particularly the rheumatism, until he attained the age of thirteen years. He had then the small-pox in a favourable way; and from that time became healthy, and continued to have no complaints to the age of about forty-

* Vide Medical Transactions published by the College of Physicians of London, 1772, Vol. II. p. 261 et seq.

three years. From his attaining the state of manhood to this period, but especially during the latter part of the time, he indulged himself, even to excess, in fat meat, of which he used to eat voraciously three times a day, together with large quantities of butter and cheese. Nor was he more cautious with respect to strong ale, which was his common drink. About his fortieth year he began to get very fat; but finding that he had a good appetite, and digested his food without difficulty, and that his sleep was undisturbed, he made no alteration in his diet. It was in his fortieth year when he first began to be disturbed in his sleep, and to complain of the heartburn, of frequent sickness at stomach, pains in his bowels, headache, and vertigo. He was now sometimes costive, at other times in the opposite extreme; had almost a constant thirst, a great lowness of spirits, violent rheumatism, and frequent attacks of the gout. He had likewise two epileptic fits; but the symptom which to him appeared the most formidable, was a sense of suffocation, which often came on him, particularly after his meals. Under such a complication of diseases, every day increasing, he continued till the month of August 1764. At this time the Rev. Mr Pawley, a worthy clergyman in the neighbourhood, observing his very ill state of health, and the extreme corpulence of his person, recommended to him an exact regimen; and pointed out the Life of Cornaro, as a book likely to sug-

gest to him a salutary course of living. This book convinced him, that intemperance was the principal cause of all his complaints; and he therefore determined to try, whether the cause, being removed, the effects might not cease. However, he thought it prudent not to make a total change in his diet suddenly and at once; accordingly, he at first confined himself to one pint of his ale every day, and used animal food sparingly. This method he soon found to answer to his satisfaction, for he felt easier and lighter, and his spirits became less oppressed. These good effects encouraged him to proceed in his experiment; and therefore, after he had pursued the regimen before mentioned during two months, he deducted from his allowance half the former quantity of ale, and was still more sparing of gross animal food. In this course he continued till the 4th of January 1765, since which time he has entirely left off all malt liquor; and in the following month, he began to drink only water, and to eat none except the lighter meats. Under this degree of abstinence, although some of his complaints were relieved, yet some of them remained in full force. The rheumatism tormented him; and still he had, now and then, slight fits of the gout. On the 4th of June following, he began the use of the cold bath, and continued it twice or thrice a week until the 29th of October 1767. About the same time he began the exercise of the dumb-bell, in which he perseveres to this

day. Water was his only drink from the beginning of January 1765 to the 25th of the following October. From this day he drank no more until the 9th of May 1766, when he drank two glasses and a half of water; since which he has drunk no more of any liquor whatever, except only what he has taken in the form of medicine. He has avoided cheese, ever since the 30th day of June 1767. He began to abstain from butter some time sooner. The 31st of July in the same year was the last time of his eating any animal flesh; since that date, his diet has been principally confined to pudding made of sea biscuit. He allows himself very little sleep, generally going to bed at eight o'clock in the evening, sometimes even earlier, and generally rising about one o'clock in the morning, but being very rarely in bed after two o'clock.

"Under this strict course of abstinence he still continues to live (September 1770); and he expresses, in the highest terms, the great pleasure and tranquillity of mind which he enjoys in consequence of it. The poor diet, to which he has accustomed himself, is now as agreeable to his palate, as his former food used to be; and he has the additional satisfaction to find his health established, his spirits lively, his sleep no longer disturbed by frightful dreams, and his strength of muscles so far improved, that he can carry a quarter of a tun

weight, which weight he in vain attempted to carry when he was about the age of thirty years. His voice, which was entirely lost for several years, is now become clear and strong. In short, to use his own expression, he is metamorphosed from a monster to a person of a moderate size; from the condition of an unhealthy decrepit old man, to perfect health, and to the vigour and activity of youth. His flesh is now firm, his complexion well-coloured, and what is very remarkable, the integuments of his belly, which I expected to have found loose and pendulous, are contracted nearly in proportion to his diminished bulk.

"Prejudiced by a common prevailing superstition, Mr Wood never allowed himself to be weighed, either during the state of his extreme corpulence, or since his reduction; but it is conjectured, that he has lost ten or eleven stone weight."

Excudebat C. Stewart.